

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 5 (1891)

Artikel: Analysis actus charitatit
Autor: Waffelaert, G.J.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762073>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ANALYSIS ACTUS CHARITATIS.

AUCTORE DR. WAFFELAERT PROF. SEMINARII
BRUGENSIS.

II.

Cum amare sit appetere bonum alicui, in uno eodemque amore necesse est esse duplex objectum diversimode amatum: nempe ens seu bonum cui aliquid appetimus seu amamus, et ipsum bonum quod eidem amamus seu appetimus. Et natura quidem prius est amare bonum seu ens cui aliud bonum appetimus, quam amare seu appetere bonum illi. Prius enim illud bonum, cui aliquid appetimus, amamus ut subsistens; alterum quod ei appetimus, amamus ut accidentale sive inhaerens (cf. 1^a, q. 60, art. 3, cum comment. Cajetani); et rursum prius amamus simpliciter et secundum se, alterum amamus solum alteri, et secundum quid seu in quantum amamus istud prius. Unde intelligitur in omni amore esse duplicem motum diversum in duplex objectum distinctum, adeoque duos diversos modos amandi, non tamen duos amores, quoniam duo illa objecta sunt subordinata, quorum unum uno modo, alterum altero modo, necessario simul in uno actu amoris attinguntur. Prior modus vocatur amor amicitiae, quoniam amici est simpliciter seu benevole diligere amicum, et ideo ei appetere bonum; unde etiam, merito abstrahendo a mutua dilectione, quam quidem notio amicitiae superaddit amanti benevolentiae, non vero includit modum amandi de quo hic, vocatur idem modus amor benevolentiae. Alter modus, quo appetimus bonum alteri, vocatur amor concupiscentiae, quoniam illud bonum dicimur concupiscere, quod nobis vel alteri appetimus (Vid. 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 3, cum comm. Cajet.).

Haec ampliorem expositionem merentur, quoniam magni sunt momenti, et potissimum quidem in ordine ad analysim actus charitatis theologicae. In hac explicatione praecipue ac fere unice amorem voluntatis prae oculis habebimus, tum quia amor Dei, et charitas theologica, circa quam versatur imprimis haec tractatio amor voluntatis est, tum quia passio amoris heic attendi non debet nisi in quantum analogice amori voluntatis declarando prodest, et relationem influxus ac subordinationis dicit ad voluntatem. Et profecto, motus benevolentiae, ut vel ipsum nomen indicat, non est nisi in voluntate; in appetitu autem sensitivo, concupiscibili, est analogice et improprie tantum. Attamen, haud inutile erit in antecessum indicare quomodo duplex ille motus, etiam motus benevolentiae saltem analogice, invenitur in omni amore.

Et in ipsa quidem habituali inclinatione naturae seu appetitu naturali, qui et amor naturalis improprie dicitur, duplex ille motus concipi potest, saltem ubi de natura animata agitur: nam inclinatio in proprium bonum, seu perfectionem suam, est quodammodo prius amor suiipsius et consequenter appetitus boni quod natum est propriam naturam perficere.

In amore sensitivo, qui est amor naturalis proprie dictus, elicitus, appetitus inferioris, concupiscibilis, seu in passione amoris, qua animal sibi appetit bonum sensibile, apprehensum cognitione sensibili, rursum prius se quodammodo benevole appetit, et consequenter sibi appetit bonum sensibile extrinsecum; ita tamen, ut solus motus elicitus sit amor hic concupiscentiae, motus vero illius analogicae benevolentiae non sequatur propriam suam apprehensionem, sed apprehensionem Auctoris naturae tantum, et virtualiter tantum contineatur in motu elicitio concupiscentiae.

Videri tamen cuiquam posset bruta propius imitari amorem voluntatis elicitem: nam videntur bruta, v. g. quasi benevola non tantum in se, sed etiam in alia suam similia, puta, in suam progeniem, cui consequenter appetunt bona ut sibi. Et revera, quemadmodum mox explicabimus, causa amoris, sicut est ex parte objecti bonum qua tale, id est, quatenus connaturale et proportionatum appetitui, posita ejusdem apprehensione; ita causa amoris

tamquam propria dispositio ex parte subjecti est similitudo. Si autem est similitudo amantis cum amato in actu, amabit amans amatum ut alterum se, amore benevolentiae, et amabit bonum ipsi ut sibi; si sit similitudo tantum in potentia, ita ut non habeat actu sed possit habere bonum quod est in altero, erit amor concupiscentiae illius boni, ut fiat actu similis ei. Dicendum igitur est motum bruti in simile sibi esse revera elicited, et videri pertinere non ad amorem concupiscentiae, qualis est ille quo appetit bonum suū simili, sed ad amorem cujusdam benevolentiae analogicae, quo amat suū simile ut seipsum.

At vero, si rite rem inspicimus, motus amoris bruti in suū simile est quidem elicited, sed qua talis ad amorem concupiscentiae pertinet: amat enim sibi suū simile, et consequenter bona eidem proportionata amat, non ut alteri a se quasi benevole amato, sed rursus sibi, seu sibi amat et ipsum et bona ipsi proportionata, sicut homo amat sibi domum et equum, et consequenter quae domum ornant, equum alunt, etc. Adeoque duplex est motus successivus et subordinatus amoris concupiscentiae, cui duplex respondet virtualis motus analogicae benevolentiae in seipsum animal.

Contra, in amore voluntatis, non solum apprehenditur alter similis sibi in actu, ut objectum amoris concupiscentiae, seu ut bonum sibi proportionatum, ad quam apprehensionem consequatur motus amoris concupiscentiae, ex motu naturali benevolentiae in se ipsum, sed etiam in eodem, ut altero a se, apprehendi potest ulterius propria dignitas seu ratio eidem amandi alia bona, et tunc oriri motus amoris verae benevolentiae, elicited et electivus in personam illam, et motus amoris concupiscentiae in bona alia ei amata. Nec quidquam impedit amorem concupiscentiae in alterum, ex naturali suū benevolentia, praecessisse; imo, ille motus, vel saltem apprehensio objecti ejus, est necessario praevius, quoniam benevole diligi nequit, nisi quod prius ut sibi proportionatum fuerit apprehensum. Quae quidem penitus intelliguntur, in nunc dicendis de amore voluntatis.

Itaque in omni actu amoris est duplex ille motus in duplex objectum, quia semper amamus aliquid (amore concupiscentiae)

alicui (et hic diligitur proprie dictae benevolentiae amore, in voluntate.) Respectu igitur unius ex objectis est amor concupiscentiae, vel benevolentiae, prout in istud tendit amor sub ratione boni quod amatur alteri, vel sub ratione boni propter se dilecti cui amatur alterum. Hinc ratio formalis ultima amoris concupiscentiae est rei quam volumus bonitas respectiva seu aptitudo ejus ad beatificandum; amoris vero benevolentiae ratio formalis ultima est bonitas personae in se seu dignitas ac perfectio qua redditur amabilis. „Ex quo fit, ut optime notat Aegid. De Coninck, disp. XIX, dub. 1, n. 6 et seq., quod actus quibus diversa omnino bona opto amico, praecise quia ipsi bona sunt, pertineant ad eandem virtutem, et sint ejusdem speciei praesertim moralis. . . . Cujus tamen contrarium accidit in actibus, quibus mihi aliquid opto praecise quia mihi bonum est, qui variant suam speciem et honestatem, ratione diversae bonitatis quam mihi propter se opto: nam, secundum rationem tam physicam quam moralem, sunt diversae omnino speciei actus, quibus mihi ita opto scientiam, et quibus mihi opto honestatem alicujus virtutis. Quorum ratio est, quia in priore casu omnes illi actus habent idem objectum formale, scilicet bonitatem sive dignitatem personae, qua digna est amari; secus est in secundo: nam pro diversitate objecti boni, quod mihi propter se concupisco, variatur objectum formale mei actus, cum ipsa bonitas intenta sit ultima ratio formalis mei actus.“

Jam ulterius explicandum est quomodo se habeant ad invicem amor concupiscentiae et amor benevolentiae. Quaestio habere potest duplicem sensum: 1^o quomodo ad invicem se habeat duplex ille motus amoris, in eodem actu, respectu duplicis objecti subordinati; et sic respondemus: quod illi duo motus jungantur in eodem actu, et natura prius sit benevolentia aliquem diligere, quam ei velle bonum amore concupiscentiae. Et sic etiam prius est nos ipsos naturali benevolentia diligere, quam nobis amare bona amore electivo concupiscentiae. Quis autem sit ordo inter amorem concupiscentiae in uno et amorem benevolentiae in altero successivo amoris actu, respectu ejusdem personae, pertinet ad alterum sensum quaestionis.

2^o Igitur sensus quaestionis esse potest: an unum et idem objectum seu persona possit diligi duplici modo seu motu amoris in duplici successive actu, — et si ita sit, quomodo se habeat motus concupiscentiae in uno amoris actu, et motus benevolentiae in actu altero. Sensem declaramus exemplo: ego amore naturali benevolentiae in memetipsum motus, diligo Deum ut beatificatorem meum amore concupiscentiae; et deinde diligo Deum amore benevolentiae et ideo volo seu concupisco meipsum Deo. Hoc posito, respondetur ad 1^m: nihil impedire quominus sibi succedant duo illi amores ejusdem objecti, et simul maneant. Ad 2^m: a) moraliter requiritur ut prius amemus aliquem ut nobis bonum, quam eundem diligamus ut bonum in se. b) Imo physice, ex natura nostra, non possumus aliquem benevole diligere propter se, nisi prius illum saltem apprehendamus ut bonum nobis: unde, si amor concupiscentiae de facto non eliciatur prior, saltem objectum ejus adesse debet et apprehendi. Videtur autem fieri posse ut, apprehensa statim bonitate in se simul cum bonitate respectiva, non fiat actus explicitus amoris concupiscentiae ante actum amoris benevolentiae. c) Quod de amore benevolentiae heic dicitur, valet a fortiori de amore benevolentiae mutuae seu amicitiae, ut videbimus. d) Adde quod amor concupiscentiae et amor benevolentiae, potissimum amicitiae, invicem magis excitent et roborent, ut notio amoris amicitiae magis explicata declarabit.

Cum charitas theologica sit aliquis amor benevolentiae, imo amicitiae, jam in specie hujusmodi amor considerari meretur. Quod quidem faciemus, posteaquam compleverimus notionem amoris generici, explicando causas ejus et effectus, ut facit S. Thomas 1^a 2^{ae}, q. 27 et 28, mirabili et foecunda doctrina, quam breviter referemus.

